

faciam ecclesiis ecclesiasticis personis populo mihi subdito maioribus et minoribus et precipue viduis et orphanis et pupillis tam pauperibus quam divitibus secundum patrias leges et secundum sanctorum canonum statuta; in spiritualibus ecclesie, cum ab ea de sua iusticia requisitus fuero, respondebo et quod debitam reverentiam et debita obsequia secundum instituta divine et humane legis ecclesie Trundensis et totius regni Norwagie pro posse meo prestabo et ab ea nulla obsequia violenter exigam, nisi que sacri canones ecclesiam regibus parare concedunt, nisi gratis pro necessitate temporis ipsa prestare velit.

c. 2.

Decernimus¹⁾, ut fundatores ecclesiarum vel qui eas suis facultatibus locupletant¹⁾, eorum filii²⁾ vel nepotes hanc habeant providentiam, ut si sacerdotes ea, que ipsis ecclesiis contulerunt, defraudare presumpserint, aut honesta ammonitione compescant aut episcopo suo corrigenda denuntient vel, si episcopus ea corrigere vel huiusmodi agere temptaverit, metropolitano insinuare procurent. Si autem archiepiscopus hec non correxerit vel similia gesserit, per regem domno pape denuntient. Ipsis autem fundatoribus vel eorum heredibus in eisdem ecclesiis vel rebus earum non licet quasi proprii iuris potestatem preferre, non rapinam non fraudem ingerere nec violentiam quamcumque presumere²⁾; sacerdotes¹⁾ inde remove vel in eis ponere absque episcoporum auctoritate et consilio non presumant, set episcopis offerant ordinandos. Quod si¹⁾ ad³⁾ inopiam fuerint devoluti, in cenobiis vel ecclesiis capitulum habentibus, quas ipsi construxerunt vel ditaverunt, si ibi manere voluerint, suffragium vite pro temporis usu percipiant.³⁾ Considerandum⁴⁾ est [quatenus, si]^{a)} secundum episcoporum ammoni-

^{a)} am Ende der Seite beschnitten; fol. 3^v

¹⁾—¹⁾ Dgl. c. 32 C. XVI q. 7 (= conc. Tolet. IX c. 2, Hin[d]ius, Decr. Pseudoisid. 398).

²⁾—²⁾ Dgl. c. 31 C. XVI q. 7 (= conc. Tolet. IX c. 1, Hin[d]ius 397f.).

³⁾—³⁾ Dgl. c. 30 C. XVI q. 7 (= conc. Tolet. IV c. 37, Hin[d]ius 369).

⁴⁾—⁴⁾ Dgl. c. 35 C. XVI q. 7 (= capit. Wormat. a. 829 c. 2, MÖ. Capit. 2, 12).